



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Alia difficultas expeditur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

ARTICULUS IV.

De fructibus Beatorum, & quomodo ab Aureolis distinguantur?

57 **P**RÆTER Aureolas, ad accidentalem beatitudinem pertinet etiam Fructus Spiritualis, seu Evangelicus, qui per metaphoram & similitudinem ad fructum materiale multipliciter dicitur. Primum enim ratione dulcedinis sumitur pro Dei fruitione, quâ in via, vel in patria reficimur, ut imperfectè, vel perfectè habet rationem ultimi: fructus enim materialis est ultimum arboris, & terminus virtutis ejus. Secundò sumitur pro actionibus virtuosis, ex quarum operatione mens etiam sincerâ delectatione reficitur, sed non per modum ultimi; & hoc modo sumitur fructus ab Apostolo ad Galat. 5. ubi hujusmodi fructus duodecim enumerantur, scilicet *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Tertio sumitur, ut est quoddam veluti commodum ex labore agriculturæ expectatum; quò sensu loquens Apostolus ad Romanos 6. *Habetis* (inquit) *fructum vestrum in sanctificationem, sinem verò vitam æternam*. Quarto tandem sumitur secundum quòd ex bono quâ semine in terra bene disposita, in minori vel majori quantitate consurgit: ad quòd alludens Christus Matth. 13. dicit: *Semen cecidit in terram bonam, & aliud dedit fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigessimum*. Et de fructu in hac ultima acceptione agimus in præsentibus qui definitur à D. Thoma in Suppl. qu. 96. art. 2. *Premium quoddam accidentale homini debitum, ex hoc quòd ex carnali vitam spiritualem transit, ad modum quo ex terreno semine fructus consurgit*. Tria autem quæri possunt de illò. Primum utrum differat ab Aureola, & quomodo? secundum, an soli virtuti continentia debeatur? Tertium, utrum secundum tres continentia partes, tres etiam fructus convenienter assignentur?

§. I.

Prima difficultas resolvitur.

Dico Primum: Fructus Evangelicus realiter differat ab Aureola. Ita D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 2. quæstion. 1. Scotus ibidem & alii.

58 **P**robatur primò cõclusio: Fructus consistit in gaudio quòd habetur de ipsa dispositione operantis, secundum spiritualitatis gradum, in quem proficit ex semine verbi Dei: Aureola verò, in gaudio de operum perfectione percepto: Sed hæc duæ rationes distinguuntur realiter; nam prima habet rationem viæ, tendentia, & progressus; secunda verò rationem finis: Ergo Fructus Evangelicus realiter differat ab Aureola.

59 **P**robatur secundò: Quæ possunt separari realiter, distinguuntur realiter: Sed Aureola, & Fructus possunt separari realiter, & de facto separantur, ut patet in viduis, quibus debetur Fructus, non tamen Aureola: Ergo realiter distinguuntur.

60 **T**ertio: Fructus, & Aureola diversis diviso-

Anibus impossibilibus dividuntur: Ergo distinguuntur realiter. Consequentia patet, probatur Antecedens: Nam Aureolæ dividuntur in Aureolas Martyrum, Doctorum, & Virginum: Fructus verò in Fructus Conjugatorum, Viduarum, & Virginum; quæ divisiones, saltem duæ ultimæ, sunt impossibiles; & de tertâ statim explicabitur; Ergo Fructus Evangelicus realiter differat ab Aureola.

Dices: Eidem merito non debentur diversa præmia: Sed idem est meritum Virginum: Ergo non debeat ei correspondere duo præmia, aureola scilicet & fructus.

B Respondeo distinguendo Majorem: secundum idem, concedo: secundum diversa, nego: sic enim non solum unicum præmium, sed etiam tria eidem virginitati competere possunt: nam prout imperatur à charitate, correspondet ei gloria essentialis; prout est opus habens rationem excellentis victoriæ, Aureola; quatenus verò fit per illam à carnalitate ad spiritualitatem transitus, Fructus, etiam centesimus, ut dicit glossa super locum Matthæi citatum, & asserunt D. Hieronymus contra Jovinianum, Beda in caput 8. Lucæ, & alii.

§. II.

Alia difficultas expeditur.

Dico secundò: Fructus trigessimus, sexagesimus, & centesimus, licet diversis rebus accommodati possint, speciali tamen ratione competit virtuti continentia.

Probatur prima pars: Nam locus ille Matthæi exponitur à D. Augustino libro de sancta virginitate cap. 45. & 46 & à D. Thoma in Matth. cap. 13. de gloria essentiali, juxta modum incipientium, proficientium, & perfectorum: vel etiam ab eodem Augustino lib. 1. questionum Evangelicarum qu. 9. 10. & 11. de Conjugatis, Virginibus, & Doctoribus: à Theophrasto, D. Anselmo, & D. Gregorio, de vita activa communi, de vita contemplativa, & de vita mixta perfecte exercita: & tandem à D. Remigio, relato à D. Thoma in catena aurea, de bono cognitione, de bona locutione & de bona opere. Item Ecclesia in Hymno laudum. S. Joannis Baptistæ, qui fuit Virgo, Doctor, & Martyr, tres istos fructus, Virginitati, Doctoratui, & Martyrio, ejus accommodat, dum canit:

*Serâ ter denis alios coronant
Aurea clementis, duplicata quosdam;
Trina centeno cumulata fructus;
Tesauri ornant.*

Et qui hæc SS. Patrum, & Ecclesia explicationes non possunt non esse legitimæ: Ergo, &c. Probatur secunda pars, quæ est communis, ratione D. Thomæ: Fructus Evangelicus illi virtuti præcipuè correspondet, quæ hominem specialiter à carnis corruptione liberat, eumque efficit spirituale: Sed hoc præcipuè continentia competit: Ergo distinctio illa Fructus Evangelici in trigessimum, sexagesimum, & centesimum, speciali ratione competit virtuti continentia. Major declaratur: nam Fructus Evangelicus oritur ex semine Evangelico, quòd est verbum Dei, cujus proprium est carnales homines in spirituales & divinos convertere; hæc proinde Fructus Evangelicus illi virtuti propriè debetur, quæ homines magis à carnis corruptione liberat.